EX PLINIO.

C Chamæciſſon appellant Hederam non attollentẽ ſe à terra. Et hæc contuſa in uino acetabuli menſura lieni medetur. Eius folia bibunt iſchiadici tribus obolis, in uini cyathis duobus ſeptem diebus, admodum amara potione.

APPENDIX.

Has omnes iam cõmemoratas facultates Hederæ terreſtri recentiores tribuunt: neq; dubium eſt, quum ſit admodũ amara, quin eaſdem habeat, & alia etiam poſsit quæ illi adſcribunt, ut euocare ſuppreſſos menſes, urinam mouere, obtuſum auditum remouere. Contra peſtem etiam tradunt efficacem eſſe: id quod equites quoque ſciunt: hi enim quoties fibula dicta peſtis equum corripuerit, hac contra eandẽ herba magna efficacia utuntur.

DE CHRYSANTHEMO. CAP. CCCXXXVI.

NOMINA.

Chryſanthemum unde dictum.

ΧΡΥΣΑΝΘΕΜΟΝ Græcis, Chryſanthemũ Latinis, officinis inuſitatum, Germanis Goldtblům/Schmaltzblům/à pinguedine quæ contrito digitis floſculo apparet, & Dratblům nominatur. Chryſanthemon uerò à floſculis auri ſplendorem & colorem præ ſe ferentibus, dictum eſt.

FORMA.

Herba eſt tenera, fruticis tamen ſpeciem obtinens, leues proferens caules, & multifida folia: luteos flores, uehementer ſplendentes, & oculi inſtar circulares. Ex qua ſanè deſcriptione ſatis clarum eſt, herbam quam pictam damus, eſſe Chryſanthemon, quod illi omnes à Dioſcoride traditæ notæ, nulla prorſus reclamante, conue-
D niant. Quibus Democriti in Hydroſcopico accedit teſtimonium, qui herbam hanc quæ Batrachio ſimilis eſt, Chryſanthemon Græcis appellari ſcribit, foliiſq; Apij eſſe, maioribus tamen, flore auri colore ſplendente. Addit denicq; ab Aquilegijs mirè celebratã eſſe, eò quod aquam ſubeſſe certum ſit, ubi ſolet emicare. Quæ quidẽ ſingula herbę illi quam depictã exhibemus reſpondent. Nam ut cætera omittam, ubi hæc naſcitur aquæ latices ſubeſſe non eſt dubium. Quidam perperàm Waſſerbanenfůß germanicè nominant: nam hoc nomine appellata herba, alia ab ea eſt, ut in capite de Batrachio docuimus. Nam cum hæc noſtra acrimonia uacet, quanquam Batrachijs ſimilis ſit, tamen in numero illorum eſſe hoc nomine non poteſt.

LOCVS.

Naſcitur prope urbes, in pratis humidis, & alijs locis aquoſis.

TEMPVS.

Maio menſe eius floribus prata & loca humida ſplendeſcunt.

TEMPERAMENTVM.

Eiuſdem eſſe cum Buphthalmo temperamenti, & guſtus & facultates declarant. Calidum itaque eſſe & ſiccum conſtat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Eius flores cum cerato triti, ſteatomata diſcutere produntur. Regio morbo correptis coloris bonitatem tempeſtiuè reddit, à balneo poſt longiorem in eo moram exitu pota.

EX PLINIO.

Veſicæ calculos Chryſanthemon eijcit.

DE CHAMAE-

LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIBRARY